



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De vtraq[ue] specie huius Sacrame[n]ti, cap. 23.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**



ria, quæ *Visitoribus* tuis obiiciant, aut sic perpetuò populos tuos in tot erroribus miserimè perplexos, irretitos, dubios, confusosque fœde ac infœliciter derelinque. Patetur enim nunc Lutherus ipse, tantam esse in fide factam hoc tempore confusionem, ut fere nemo sciat, quid credere debeat. Quid mirum? quia neque ipse vsquam sibi constat, & priora semper posterioribus nunc bene, nunc male corrigit.

*In lib. cōtra  
Rebapti-  
zatores.*

## De vtraq; specie huius Sacramenti.

## CAP. XXXIII.

## VISITATOR.

Secundus articulus est, ut doceantur homines, iustum esse, vtramque speciem sumere. Informauimus igitur Parochos & Concionatores, ut eiusmodi doctrinam Euangelij de vtraque specie, fortiter ac liberè prædicent coram quibuslibet, siue sint fortes, siue imbecilles, siue ceruicosi, & nullo pacto alteram speciem iustificent, sed redarguant velut rem iniquam quæ sit cōtra institutionem & vltimam voluntatem Saluatoris & domini nostri Iesu Christi. DOCT. Quamuis nunc populo non datur vtraque species, sicut olim, neque est necesse: tamen sacerdotes vtramque sumunt quotidie coram populo, & satis est populum quotidie desiderare, ac suo tempore alterā speciem, quantum ordinat & dat Catholica Ec.

*In lib. Visti.*

*In serm. de  
Eucharist.*



DE VTRAQUE SPECIE

*In declara-  
tione illius  
sermonis.*

*De formula  
Missæ.*

*In lib. Vist.*

*In lib. ad  
Nobilitatē  
Germaniæ.*

*In ser. de no-  
uo Testa.*

clesia, sumere. MAR. Non dixi, neque consuli, neque est intētio mea, vt vnus aut aliquot Episcopi, propria autoritate incipiant, alicui vtrāque speciem porrigere, nisi ita constitueretur, ac mandaretur in Concilio generali. BARR. Nos Christi ius habemus, & Concilia nec morari nec audire volumus in iis, quæ manifestè sunt Euangelij, quin amplius dicimus, si quo casu Conciliū id statueret ac permitteret, tunc minimè omnium nos velle vtrāque speciem potiri: imò tunc primum in despectum tam Concilij quàm statuti sui, vellemus aut vtra tantū aut neutra, & nequaquam vtrāque potiri, ac plane eos Anathema habere, quicumque autoritate talis Concilij vel statuti vtrāque potiretur. V I S I. Ego non dico quempiam debere, vel ad fidem cogi, vel ab incredulitate sua præceptis aut vi depelli. MAR. Neque ego consulam, vt Bohemi cōpellantur, vtrāque speciē Sacramenti abolere, cū illud neque impium, neque hæreticum sit, sed vt dimittantur in illo modo si velint, ita tamen, vt nouus Episcopus eorum præcaueat, ne qua dissensio propter eum modum oboriatur, sed benigne doceat, neutram partem erroneam esse. Quemadmodum discordiam parere non debet, quòd aliter vestiuntur, aliisq; gestibus vtuntur sacerdotes quàm laici. L V T. Quòd alteram speciem, vini scilicet, Papistæ nobis penitus abstulerunt, quis comprobet? Quāuis parum habeat momenti, quia multo



plus firmum est in verbis, quàm in signis. Vellè tamen libenter scire, quisnam potestatem eis dederit id faciendi. Hoc enim modo & alterã nobis speciem auferre possent, ac vacuam monstrantiam pro reliquiis osculãdam nobis præbere, ac tandem quicquid Christus instituit, tollere. SVER. Papa damnauit, quod dixerã, consultum videri, quòd Ecclesia in communi Concilio statueret, Laicos sub vtraque specie communicandos, neque Bohemos ob id hæreticos & schismaticos esse. Sed reuocaui hũc articulum in libro de captiuitate Babylonica, & iterum reuocaui in assertionione, dicens, Bohemos & Græcos in hac parte nec hæreticos nec schismaticos, sed Christianissimos & Euangelicissimos esse, quos & his verbis oro & obtestor in Domino, vt in ea sententia firmiter permaneant. DOCT. Longe aliter sentiebas paulò ante nobiscum, Suermere: Placebat enim obediendum esse nouissimi Concilij Decretis: vt Laicis vna tantum species porrigatur. Placebat & illud, esse eundem Christũ, non partialiter, sed integrum, sub qualibet seorsum specie tam panis quàm vini. Quinetiã rogabas & obsecrabas nobiscum omnes schedulæ Stolpensis lectores, vt schedulam in hoc audiant & sequantur, pro seruando vnitatis vinculo, quæ longe preponderat Sacramento, quo ceu signo significatur. LVT. Papa ne tantillo quidem habet potestatem mutandi quod Christus instituit, siquid mutat, hoc facit vt

*In Assertionione art. 16.*

*Ad Schedulam inhibitionis.*

*In sermone de nouo Testamento.*



*Vbi supra.*  
*In cap. Ba-*  
*bylo. cap. de*  
*Euchari-*  
*stia.*

*In disputa-*  
*tione Lipsi-*  
*ca.*

*In assertio-*  
*nis. art. 30.*

*In Cōment.*  
*ad Galatas.*  
*cap. 6.*

*In cap. Ba-*  
*byl. cap. de*  
*Euchari-*  
*stia.*

*In assertio-*  
*nis. art. 16.*

Tyrannus & Antichristus. DOCT. Aliter autem sentiebas de Papæ & Concilij potestate, quando insectabamur schedulam Stolpēssem. LVT. Reuocaui autem paulò post, & dixi: Si vtri sunt Hæretici & Schismatici nominandi, non Bohemi, non Græci (quia Euangelis nuntuntur) sed vos Romani estis hæretici & impij schismatici, qui solo vestro figmento præsumitis, cōtra euidētes Dei scripturas. MAR. Non ergo contumeliæ loco habere debebas, quando D. Eccius insimulabat te Bohemicæ factionis studiosum & plane patronū. SVER. Qua fronte neget se Bohemorum patronum, qui publice scribit, nō aliquos sed omnes articulos Iohannis Hufs, Constantiæ esse damnatos ab Antichristo & suis Apostolis in synagoga illa Sathanæ, ex sceleratissimis Sophistis congregata. MAR. At longe verius est, quod in Galatas Pauli scripsimus, Bohemorū dissidium a Romana Ecclesia, nulla posse excusatione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, perstat. LVT H. Quamuis Romana Tyrannis integritatem huius sacramenti nobis abstulerit, non tamen peccant in Christum, qui vna specie vtuntur, cū Christus non præceperit, vlla vti, sed arbitrio cuiuslibet reliquit, dicēs: Quotiescunque hæc feceritis, in mei memoriā facietis. SVERMERS. Ego autem dico, Si quis sciens omittat, desiderare saltem,



alteram etiam partem sacramenti: licet neutra necessaria sit, cum fides sola hinc sufficiat: impium eum esse, & Christum ab eo negari.

BARR. Consultum itaque videtur mihi nunc, *Ibidem.*

ut non modo per Concilium, sed per quaque Diocesim, quilibet Episcopus, etiam invito Papa, Christum sequutus in Evangelio, rursus

utramque speciem laicis daret. Quandiu, rogo, sinimus nos illudi humanis istis figmentis & statutis? E C C L E. Quamuis teneam, ne-

cessarium esse debere, ut Sacramentum sub v-

traque specie sumatur, secundum institutionem Domini, tamen ex eo non debet coactio fieri, neque in generalem ordinationem redigi.

SVER. An verò Christus apud me non *In serm. feria 5. post*

tantum valeat, quantum totus mundus, Papa *Inuocauit.*

& Concilia? ipse iubet me accipere ac bibere. *In consolatione ad*

Ego autem omitto, & non accipio, sed ex- *Hallenses.*

eror ac damno velut hæresim. Est hoc Chri-

stum audire, sicut præcipit pater de cælo?

DOCTOR. Quousque contenditis fra-

tres? Non est nostrum, iudicare voluntatem Papæ, sed tantummodo ferre, etiam si

quando fuerit iniquissima. MARTINVS. *In Resolutione conclusionis. 86.*

Non probo igitur, utramque speciem Laicis *Ad schedulam inhibitionis.*

dari, nisi fiat mandante Concilij generalis au-

toritate.

### COCLÆVS.

Quam hinc probes sententiam (Illustrissime Princeps) in tanta contrarietatum sylua? Quæ



DE MISSA.

putes à Spiritu sancto dictatam? Non aliam profectò, nisi quam asserit etiam Ecclesia, cui Paracletus ille omnem Veritatem suggerit: Iohan. xiiij. & xvi. De reliquis eam tene sententiam, si sapis, quam Lutherus ipse nuper tulit in Suermeros: Nempe ut liberè concludas, Diabolum (qui pater est omnis dissensionis) esse harum contrarietatum auctorem, quia Paulus dicit, Deus non est deus dissensionis. &c. Nunc enim ex ista contradicendi peruicacia eo prolapsus est, ut sub specie panis, neget per concomitantiam adesse sanguinem animamque & Deitatem Christi, atque ita ponit corpus exangue & exanime in Sacramento, quale profectò Christus non habet. Non ergo verum corpus Christi, sed fictum sua impietate cadauer audet nunc huic tribuere sacramento Lutherus, cunctis nimirum Suermeris longe deterior.

In lib. 2. contra Zuingl. & Oecol. b. j. In lib. contra Episc. Missenium.

De Missa.

C A P. XXIIII.

VISITATOR.

In lib. Visi. **A**Liqui latinas, aliqui Teutonicas decantant Missas, id quod fieri permittimus. Utile tamen videtur, ut ubi maior pars po-